

viuorum ac mortuorum,) nihil faueat, neque Petauio, reliquisque Pontificiis scriptoribus, neque Jonæ Schlichtingio, reliquisque Socinianis, neque aliis, *prædestinationem Christi*, quam, ex nostro oraculo concedendam esse, opinantur, eandemque, nescio ad quos errores de Christo, detorquent. Neque ego hic aliquid addo, nisi vnum illud, quod, Patribus solis hunc loquendi & scribendi modum relinquendum esse, existimauerim, qui ante controuersias motas tales, quales nunc nobis cum Pontificiis, Socinianis & Calvinianis, intercedunt, paulo liberius loqui & scribere de *Christo prædestinato* potuerunt, a quo nobis nunc abstinendum esse, prudentiæ leges theologicæ postulant, ne quid concedatur aduersariis, in quo præsidium aliquod quærere possent. Confer. Gal. II, 5.

§. IV.

Progrederer etiam nunc, a controuersiis his critico-exegeticis, ad controuersias maioris momenti reales, nisi illi me monerent, qui τὴν τῆς Θεᾶς ὠρισμένην βελήν, καὶ τὴν πρόγνωσιν αὐτῆς, cuius Lucas meminit, in nostro oraculo, *per mandatum Dei*, male exponunt, idque postea, maiori cum ψευδερμηνείᾳ nunc ad Christum ἐκδοῖον, nunc ad λαβόντας καὶ προσπήξαντας αὐτὸν, extendunt & interpretantur. Ex Pontificiis sufficiat BELLARMINVM huc reuocare, quoniam is, in *Lib. II. de Gratia & Liber. Arb. circa finem*, illud, quod antea de Christo affirmauerat, quod a Deo fit *electus & prædestinatus* ante mundi constitutionem, postea, *per æternum Dei Patris imperium*, exponit. Ex Reformatis LVDOVICVM DE DIEV & alios, recte accusauit hoc nomine, & refutare docuit CHRISTIAN SAMVEL MARTINI, *dict. loc.*, Cap. I, §. 23, quia τὴν τῆς Θεᾶς ὠρισμένην βελήν καὶ πρόγνωσιν, secundum quam Christus dicitur h. l. ἐκδοῖος & traditus esse, *per mandatum & voluntatem præcepti*, explicant. Et quid aliud intendunt Scriptores reliqui Calviniani plerique, quando hanc τῆς Θεᾶς ὠρισμένην βελήν καὶ πρόγνωσιν ita interpretantur, vt, inde absolutum aliquod atque irresistibile Dei decretum deriuari posse, opinentur? Vtinam illi, vel ad sola verba textus nostri, attenderent, quo facto, animaduernerent, dictionem omnino nullam in illo contineri,

B

quæ